



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficult. 1. Præmittuntur tenenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

Qua inductione ostenditur distinguenda hæc esse duo. Et hoc supposito, inferri poterit, quod Parochi propositio, non habeat rationem mediata locutionis Divinæ, sed non nisi proponentis id, quod dixit Deus.

Tum quia longè alijs sunt Auctoritatis Prophetæ & Apostoli, per quos locutus est nobis Deus, post factam immediatè illis revelationem, quam sit Auctoritas Parochi proponentis mysterium. Ergo si Prophetis & Apostolis tribuitur ratio mediata locutionis, Parochis tribuenda erit, sola propositio objecti à DEO revelati. Tum quia sicut non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, ita nec dignificanda. Ergo si sufficit propositionem Parochi, & motiva credibilitatis, habere rationem applicantium, quod hoc Deus dixerit, non erit necessesse tribuere illis rationem mediata locutionis, quæ est quid dignius.

DICES Primò cum Haunoldo lib. 3. num. 115. De facto fideles omnes dicuntur audire vocem Dei & doceri à Deo ut habetur Joan. 6. & 10. Item DEUS dicitur per miracula testimonium dare doctrinæ Evangelii. Ergo illic intervenit Dei locutio sed non immediata. Ergo mediata.

RESPONDETUR. Hoc sensu omnes fideles dicuntur audire verbum Dei, quia assentiuntur ipsi *Ly Deus dixit*. Perceptio illa dictionis, auditio est, sed non audiunt vocem Dei, quasi mediata sit illa Dei locutio, hoc enim probandum esset. Et cerè si quis noller assentiri Auctoritati Prophetæ, quem pro tali agnoscat, quantumvis crederet ei, quod ille dicit, revera sese opponeret revelationi Divinæ, quæ simul revelat, illum esse deputatum, ut hoc nomine Dei dicat. Et tamen si quis crederet ea quæ Parochus proponit, non assentiret tamen Auctoritati Parochi, non opponeret se revelationi. Quod etiam ostendit, Parocho non competere titulum locutionis Divinæ mediata.

DICES Secundò cum eodem. Ad locutionem Dei mediatam plus non requiritur, quam ut signa credibilitatis appareant à Deo proficisci, ut per ea homines veniant in cognitionem mysterii revelati. Sed sunt talia. Ergo sunt locutio Dei mediata.

RESPONDETUR. Negando Majorem, quia non continet talem descriptionem locutionis mediata, quæ ostendat motiva credibilitatis non habere rationem tantum declarantis, quod hoc Deus dixerit.

DICES Tertiò. In Oppositum esse Auctoritates.

RESPONDETUR. Theodoretum citatum solum ostendere, quod hæc propositio: *DEUS dixit*, confirmetur miraculis. Augustini locutio epist. 49. quæst. 6. Videtur esse figurata, eo enim modo Deus mirabilibus operibus suis loquitur, quo modo dicuntur cæli, enarrare glo-

riam Dei. S. Thomas in tertium distinct. 23. quæst. 2. art. 2. hoc solum vult, quod quando nobis proponit articulum homo, non debemus credere nisi ob motivum, quia Deus dixit. Hoc autem quod est *Deum in homine loqui* est similis locutio ei, DEUS per illum mihi hoc consilium ingessit, quæ locutio non ostendit, nisi quod eo instrumento usus est DEUS, ut mihi hoc manifestaret. Quæst. autem 14. de fide art. 3. id etiam solum dicitur, quod in locutione hominis Dei testimonium debeat considerari, id est, assensus debeat fieri propter resolutorium hoc: *Deus dixit*.

DIFFICULTAS II.

Quod tandem sit resolutorium Fidei Divinæ?

Partiri est necesse difficultatem. Sit

Punctum Difficultatis 1.

Premittuntur tenenda.

PRÆMITTO Primò. *Non omnes quidem actus intellectus & voluntatis habere realiter distinctum objectum materiale à formali; seu rationem propter quam, saltem tamen habere ratione distinctum.*

RATIO est. Tum quia objecta scientiarum aliqua, de facto non habent rationem formalem, à materiali, realiter distinctam: ut cum Metaphysica considerat Ens quæ Ens. Tum quia si semper objectum materiale esset distinctum realiter à formali, non daretur assensus immediatus: quia hic deberet esse propter illudmet ipsum; non esset autem propter illudmet ipsum, si esset propter distinctum realiter. Tum quia universaliter debet prædicari quodam modo idem. Ergo apparet, assensum, identitatem deposcere, quantum fieri potest. Quod autem semper objectum materiale à formali sit ratione distinctum, Probatur. Tum quia etiam Ens quæ Ens distinguitur ab ente simpliciter, & si illa reduplicatio alietatem non infert frustranea esset: Imò si ratio materialis objecti qua talis, non est ratio distinctiva scientiarum, & quid reliquis commune, ut ordinariè docetur; etiam ratio formalis, esset adhuc aliquid commune, quod ordinariè negatur, esset inquam ratio Formalis aliquid commune, si illa reduplicatio, non faceret distingui scientias. Tum quia. Cum eandem rationem possit intellectus per modum materialis, & eandem per modum formalis concipere in alijs materiis, non est ratio cur etiam circa objecta idem facere non possit. Tum quia. Non posset unquam dari propositio formalis identica, si saltem ratione, subiectum & prædicatum non distinguerentur.

PRÆMITTO Secundò. *Non omnem assensum qui sit materiali propter formale, esse discursivum.*

RATIO est. Tum quia assensus principiorum

rum non est discursivus, & tamen est assensus materiali propter formale.

Tum quia discursus, est motio intentionalis ad aliud, sicut ergo in motu datur quies, & ad hanc tendit motus, ita & in assensibus deveniri debet ad quietem; seu non movendo se ad aliud propter quod fiat assensus; consequenter non discurrendo. Tum quia non potest dari processus in infinitum in rationibus motivis. Ergo debet sibi in cognitione non propter aliud; & hoc cognitum non propter aliud, est cognitum sine discursu, seu sine processu mentis ab uno ad aliud. Unde tunc est assensus propter formale materiale, idque sine discursu, quando in eo ipso cui assentior, (quamvis in illo dividam formalitatem formalem & materiale) est inclusa vis movendi, modo ipsum illud penetratur. Unde quando dico: Omne totum est majus sua parte quia est totum &c. illud Ly omne totum, est per modum materialis, Ly quia totum &c. habet se per modum formalem, non est tamen assensus discursivus, quia ipsum formale in illo materiali continetur.

PRÆMITTO Tertiò. *Omne assensum, qui fit materiali propter formale, idque per discursum seu propter aliud, sive ille discursus sit virtualis sive formalis, involvere necessariò duas præmissas, ex quibus deducatur Conclusio.*

RATIO quia omnis discursus vel innititur illi principio. Quæ sunt eadem unitertio, principioque simili negativo; vel innititur illis aliis: Dici de omni, Dici de nullo. Sed utrumque hoc principium involvit, necessariò duas præmissas. Et quidem de priori probatur. Nam stat in connexionem duorum extremorum cum medio termino, quæ connexio haberi non potest, nisi utrumque extremum applicetur medio; applicari autem non potest, nisi per duplicem propositionem seu præmissam. Quod si discursus innitatur illi principio Dici de omni, & Dici de nullo, adhuc sequetur, quòd discursus quicumque stet duabus præmissis: sensus enim illius prioris v. g. principii est quod dicitur de universali debet etiam dici de singulari; ex quo etiam sequitur, debere & hanc propositionem assumi, & attingi, quid dicatur de universali, ut postea inferatur, hoc debere etiam dici de particulari. Unde talem discursum Virtualem etiam in fide admittimus; neque enim fidei actus, est simpliciter affirmo, sed *Affirmo quia* seu eo quod hæc sint; nempe *dictio*; & hoc dictum, ex quo sequitur, huic dicto præbendum esse assensum. Universaliter autem assensus, propter Ly: Eo quod hæc sint, notat conclusionem, quæ semper respicit præmissas. Quod autem dicitur ad omnem Syllogismum necessariam esse connexionem inter materiale & formale, quæ non est inter Dei dictionem & mysterium, id etiam non convincit: quia probaret in materia probabili non posse formari Syllogismum, quod

si sufficiat necessitas ex suppositione, necessitas talis habetur in presenti: supposito enim, quòd hoc dictum sit à Deo, non potest non esse dictum.

PRÆMITTO Quartò. *Quamvis in omni discursu sive virtuali sive formali, interveniant duæ præmissæ; nihilominus fieri posse ut non nisi unum sit resolutorium ultimum.*

RATIO quia potest formari ita discursus, ut quæ est ratio assentiendi majori, sit etiam ratio assentiendi minori, consequenter & conclusioni; quò casu, intercedent duæ præmissæ vel formales vel virtuales, unum tamen resolutorium: quia una ratio assentiendi. Talis est Syllogismus fidelis: Quod Deus dixit, qui est veritas prima verum est, quia Dixit veritas prima: Sed incarnationem Deus dixit, qui est veritas prima. Ergo Incarnationem esse verum est, quia Dixit veritas prima. In quò discursu omnibus tribus propositionibus, ratio assentiendi est, quia *Deus dixit*. Appello autem hunc Syllogismum Fidelem; hoc est Syllogismum virtualem, qui intervenit in omni actu Fidei.

PRÆMITTO Quintò. In sententia illorum qualis Suar. hic disputatione 3. S. 6. n. 4. quibus propositioni *Deus est verax*, dicunt in fide assensum præberi, quia DEUS Dixit; sequitur, quòd unum sit non nisi resolutorium ultimum fidei.

RATIO quia assensus ille duas præmissas involvit, ut dictum, nempe DEI veracitatem & quia hoc Deus dixit; si ergo assentiris quòd sit Dei veracitas, quia Deus dixit, cum ly DEUS dixit, sit etiam in alia præmissa, sit ut utriusque præmissæ, eadem sit ratio assentiendi; & quia in fide ultra illa principia non proceditur, sit ut in fide sit unum non nisi resolutorium.

PRÆMITTO Sextò. *Uniuscujusque habitus resolutorium, debet esse proportionatum suo habitui.*

RATIO quia etiam objectum sensum, est non nisi proportionatum. Unde sonus vel audibile, non est objectum visus. Tum quia si ultimum resolutorium non esset proportionatum suo habitui, non esset ultimum: quia quæ parte non proportionaretur suo habitui, ea ratione non resolveretur in illud habitus, sed quærere sibi deberet aliud, suæ sortis & speciei resolutorium. Tum quia habitus in ratione totali, & adæquatè sumpta, importat etiam rationem mobilis per tale motivum. Quod si illud motivum non esset illi importationatum, non importaret habitus rationem mobilis per talem rationem; quia non potest importare rationem sibi importationatam, præcipue cum illa ratio mobilis per talem rationem motivam, identificetur realiter ipsi habitui; cui quidquid identificatur, non potest esse nisi proportionatum: nihil enim sibi ipsi est importationatum. Tum quia id probat inductio: nam motivum & resolutorium scientiæ, non potest esse nisi scientificum resolutorium; assensus probabilis non potest

potest esse nisi probabile. Tum quia si ultimum resolutorium non esset proportionatum habitui & actibus; & constitueret in debita specie eos actus & habitum ut supponitur, & non constitueret: quia non potest aliam speciem illis tribuere, quam ipsummet habeat: si ergo ipsummet non habeat speciem debitam illis & actibus & habitui, utpote illi improporionatum, nec illa ipsa constitueret in debita illis specie, & tamen resolutorium ad hoc quaeritur, ut constituat actus & habitum in specie illis debita.

PRÆMITTO Septimò. *Non hoc ipso quia aliquid est ultimum resolutorium debet esse evidens & certum, licet hoc ipso, quod sit ultimum resolutorium, debeat esse immediatè attingibile.*

RATIO prioris partis est. Tum quia esse ultimi resolutorii, & esse evidens, sunt formalitates omnino separabiles; & ratio communis evidentiæ, non est ratio communis resolutorii; unde lux corporea, suo modo etiam participat de evidentiâ, nullo modo de resolutorio assentiendi; in quantum subest sensibus. Tum quia in intermediis demonstrationibus, potest esse evidentiâ, & nondum haberi ratio ultimi resolutorii; hoc ipso enim non esset demonstratio illa intermedia. Tum quia, dantur etiam ultima resolutoria probabilia. Ergo non certa & evidentiâ in terminis: & tamen ex ipsa terminorum apprehensione probabilia: adeoque immediatè attingibilia, quale est principium: *Si mater est diligit filium.* Unde ulterius vides, quod formalitas ultimi resolutorii, non plus importet; quam rationem talis motivi, in quo in genere assentiendi, ultimò quiescit intellectus, nec ulterius progreditur: formalitas autem evidentiâ, importat claritatem & perspicuitatem; *Hinc jam*

Secunda pars PRÆMISSI probatur: nempe quod ultimum resolutorium, debeat esse immediatè attingibile. Quia ultimum resolutorium est illud, in quo conquiescit intellectus in genere assentiendi, sed nisi esset immediatus ille assensus, non daretur illa quies intellectus: quia si non esset ille assensus immediatus, esset propter aliud; si esset propter aliud. Ergo in illo quod cognoscitur, non datur quies, sed motus ad illud, propter aliud; in quo ipso si quiescit, erit illud ultimum resolutorium.

PRÆMITTO Octavò. *Non officere naturæ ultimi resolutorii quantumvis extemplò illi non tribuatur assensus, & quantumvis non exerceat rationem ultimi resolutorii, nisi in aliquibus circumstantiis: quod maxime procedit, si ultimum resolutorium non sit evidens.*

RATIO. Tum quia de ratione ultimi resolutorii, quâ talis est, non est esse evidens. Ergo nec cognoscibile ex terminis. Ergo nec tale, cui extemplò præberi natus sit assensus: hic enim natus est extemplò præberi, ut, quæ sunt in terminis nota, si enim non sint in ter-

minis nota, distrahitur animus, & nondum habetur determinativum, ut exeat in actum potentia necessaria intellectiva, quæ ad suum actum ponendum, necessitatur, non nisi positus omnibus prærequisitis ad agendum, inter quæ, est determinatio ab objecto, non distrahente potentiam. Tum quia potest aliquis dubitare de hoc principio: Omne totum est majus sua parte; & non nisi inductione posita illi assentiri; nec tamen hoc obest, quo minus illud principium sit ultimum resolutorium, in suo genere. Ergo extemplò assentiri, non est de ratione ultimi resolutorii; & quod facit hebetudo ingenii in aliquibus, ut non extemplò ultimum resolutorium principiet in illis assensum sui, hoc potest facere ratio inevidentiæ annexa, ultimo resolutorio: quæ distrahit potentiam intellectivam, ne pro hac parte, actu suo tendat. Tum quia Non tantum potentias liberas, sed etiam necessarias, videmus non extemplò agere, sed *requirere* suas circumstantias & prærequisita. Cur ergo etiam non idem dici poterit de ultimo resolutorio, ut rationem ultimi, non exerceat; nisi in aliquibus circumstantiis.

Unde ulterius sufficit ad rationem ultimi resolutorii, quod posita inductione aliqua, vel aliis prærequisitis, tum primum appareat habere illud resolutorium vim sufficientem, immediatè movendi ad assensum. Quod ipsum tum temporis contingit: cum ipsa illa inductio, vel prærequisita, innituntur illi ipsi principio; & ita particulares inductiones, quod totum sit majus sua parte, innituntur illi principio Omne totum &c. Quod si ipsa prærequisita, innituntur illi principio, apparet illud habere vim immediatè movendi assensum; cum illa ipsa antecedentiâ, in illo ipso conquiescant. Quod autem est ratio quiescendi intellectui, est ratio immediatè movendi ad assensum.

PRÆMITTO Nondò. *Universaliter hanc propositionem, Id dixit, id dictum est, & alias similes; non posse habere ultimum resolutorium, nisi se ipsas.*

RATIO. Tum quia Dicere, ex generica ratione, non tantum habet manifestare quod dicit; sed manifestare se ipsum, aptitudinemque importat, fundandi reflexam cognitionem, supra se ipsam. Quod ulterius in eo fundatur. Quia si dictio non manifestaret se ipsam, deberet manifestari per aliam dictionem, hæc rursus alia, non est ratio, cur se ipsam manifestet, magis quàm prior. Ergo debet manifestari per aliam, & sic in infinitum; quod est absurdum. Universaliter autem: Quod est ratio formalis, alteri, est & sibi; hoc enim ipso quia ratio formalis est, sua entitate est, si sua entitate id est, certè si comparative ad alia, habet hanc entitatem, adeoque & ratio formalis, etiam comparatè ad se, habebit eandem entitatem adeoque adhuc erit ratio formalis sibi ipsi. Tum quia experimur: dum aliquis mihi dicit Petrum mortuum esse,

esse, non tantum mihi dicit, Petrum esse mortuum, sed etiam dicit mihi in actu signato, se dicere: quod dicat Petrum esse mortuum: in actu inquam signato, non exercito; quia non dicit exercite: dico me dicere, Petrum esse mortuum: & sicut unio, est ratio uniendi extrema, & simul uniendi seipsam, & similia, sic etiam dictio, non solum est ratio dicendi aliud, sed etiam ratio dicendi sibi ipsi. Tum quia Reflexens experietur, quando procedent quaesita, de enuntiatis his, ly *Id dixit*, ly *Id dictum est*: nunquam conquiescit intellectus, nisi in eodem, *id dixit: id dictum est*.

Quod si universaliter *id dixit*, est ultimum resolutorium sibi metipsi, etiam in praemissa: Id Deus dixit, illud ipsum Dixit, erit sibi ultimum resolutorium.

DICES. Si ego audiam Petrum loquentem, & nesciam illum esse Petrum, dicatque mihi Paulus, Petrus est, eo casu resolveretur meus assensus in dictionem Pauli. Ergo non in dictionem Petri. Ergo huius ly *id dixit*, potest esse aliud resolutorium, quam ipsum, *id dixit*.

RESPONDETUR. Duplicem eo casu intervenire assensum; Unus est: Petrum esse dicentem, & hic assensus resolvitur in Pauli testimonium. Alius assensus est: Quod hoc dictum sit; & hoc, non nisi in illam dictionem resolvitur.

Neque valet si dicas, *id dixit*, resolvi in se ipsum non nisi in dictione evidenti: quia quamvis ex tempore in dictione inevidenti resolvi non possit *id dixit*, in ipsum *id dixit*; resolveretur tamen in aliis circumstantiis motivorum credibilitatis. Deinde si negetur, quod in evidenti dictione resolvitur non possit *id dixit* in seipsum, non alius medius terminus usurpabitur, nisi quod non constet ex terminis ipsum *id dixit*; hoc autem nihil probat: quia potest aliquid esse ultimum resolutorium, quamvis non sit evidens ex terminis. Denique urgebit paritas una cum rationibus supradictis: potest resolvi assensus evidens in *id dixit*, evidens. Ergo & assensus inevidens, potest resolvi, in *id dixit* inevidens.

Punctum Difficultatis 2.

Formantur Conclusiones ex Praemissis.

DICENDUM est primo. *Ut huic propositioni Deus est veritas prima: huic item: Deus est, & aliis similibus assentiat fides, pro ultimo resolutorio habet: quia se dixit veritatem primam quia dixit se esse &c. &c.*

PROBATUR PRIMO. Suppono dictis propositionibus assentiri fidem, unde expresse dicit Apostolus: accedentem ad Deum oportet credere quia est. Christus etiam dicit de se: Ego sum via, veritas & vita: quibus omnibus, certe ut articulo fidei assentitur fides, hoc supposito. Formatur argumentum quando fides exhibet assensum huic objecto: Deus est veritas prima, in illo assensu debet habere sui specificativum; & di-

stinctum à reliquis assensibus, qui non sunt assensus fidei: hoc ipso enim vel non esset ille assensus fidei, non habens formalisativum fidei, & distinctivum ab aliis, vel omnes actus erunt actus fidei, ut in simili urgebatur, quia habentes idem specificativum cum assensu fidei: Sed nisi assentiat fides, Deum esse veritatem primam, qui dicit se esse veritatem primam, non habebit ille actus constitutivum sui, in ratione fidei: non enim veritatem intrinsecam, aut evidentiam terminorum ut ante dictum. Ergo non nisi aliquid extrinsecum; nempe: quia DEUS dixit. Et certe vel possum dicere, credo esse Deum veritatem, quia Christus dicit se esse veritatem; vel non possum dicere, si non possum: ergo non possum credere Evangelio, tanquam dictum seu Verbo Divino: si possum, ergo possum credere: Deum esse veritatem primam, quia dicit se esse veritatem.

PROBATUR SECUNDO. Quia si non possem assentiri, Deum esse veritatem primam, quia se dixit veritatem primam, vel ideo non possem, quia prius debeo assentiri veritatem primam esse, quam assentiri quia dicit se esse: vel ideo, quia idem probaretur per idem, adeoque committeretur circulus vitiosus, vel quidpiam simile aliud, sed nihil horum obest, ut constabit ex solutione objectionum. Ergo. Et certe si possum, per multos ex oppositis, assentiri Deum dixisse, quia dicit, cur non possum assentiri Deum esse veracem, quia dixit se veracem esse.

PROBATUR TERTIO. Tum quia in omni assensu propter rationem assentiendi, non solum assentior ipsi objecto, sed & ipsi rationi assentiendi; subiectoque rationis assentiendi. Ergo & quando assentior, quia aliquid dixit veritas prima, non solum assentior objecto, & ei quod dicit veritas prima, sed & quia veritas prima est, & dixit.

Antecedens probatur. Quando dico sole lucente papyrus illuminatam perstringere visum, quia album disgregat visum, eo casu, & subiecto, & rationi assentiendi, & huic, est album quod disgregat visum, assentior: & sic de reliquis. Quod ipsum in hoc resolvitur: quia aliàs semper esset ratio de subiecto non supponenti, si ipsi subiecto non assentior, in assentiatione; consequenter, & esset illa ratio assentiendi ut supponitur; & non esset ratio assentiendi, quia ex negato assensu ipsi subiecto, esset ratio potius neganda; consequenter quando assentior, quia veritas prima dicit, debeo assentiri idque per fidem, ipsimet veritati primae, sicut in aliis assensibus, ipso illo assensu, assentior, subiecto, quod dicit, ratio assentiendi: qui assensus non apparet qui extrahatur ad fidem; nisi propter ly *Deus dixit*.

Tum quia. Si in aliquo habitu recte colligetur, ex eo ipso esse subiecti, quia formale, in quod tendit ille habitus, est certificativum